





DE  
**R A T I O N A R I O**  
**IMPERII ROMANI**

DISSERTATIO  
AVCTORITATE  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
PRO SVMMIS  
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

OBTINENDIS  
AD DEFENDENDVM  
A. D. III. MAII CICIOCCCLXXIII.  
PROPOSITA

A

M. CHRISTOPHORO FRIDERICO WOLLE  
IVRIS VTRIVSQUE BACCALAVREO

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA

Y A T O I O N I M A R I O  
I M P E R I I R O M A N I

D I S C L Y T A T I O

A V A T O R I T A T E

I U L V A T R I S I C T O R I A M O R D I N I S

P R O S A M M I S

I N A T R O Q U E I V R E H O N O R I A S

O A T I N D E S I S

A D D E F E N D E N H A Y

A D I I P M A I I C I D I C C E C X X I I I

P R O P R I A T A

A

M C H R I S T O T H E O R I D E R I C O M O L T E

I A R R I S A T R I A D A E S A C C E L A R A D O

L I T E R A R I

A D D I C T I O N A L M O N U M E N T A

ILLVSTRISSIMIS  
ATQVE EXCELLENTISSIMIS DOMINIS  
SERENISSIMI POTENTISSIMI QVE DVCIS  
ELECTORIS SAXONIAE  
**COMITIBVS CONSISTORIANIS**  
  
DOMINIS INDVLGENTISSIMIS  
S A C R V M.

ILLUSTRISSIMIS  
ATQVE EXCELENTEISSIMIS DOMINIIS  
ETRINSSI ROLINTISSIMAE DACI  
ELECTORIS SAXONIAE  
COMITIBVS CONSISTORIANS  
DOMINIIS INDAGENITISSIMIS  
SACRAV

ILLVSTRISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI  
D O M I N I  
DOMINI INDVLGENTISSIMI

**E**sta est indulgentiae VESTRAE, qua et litterarum florem adiuuare, et litteratorum imbecillitatem ad conatus egregios roborare soletis, magnitudo, vt, si solo me acriori eius sensu incitatum fuisse dicam, ad scriptiōnem hanc qualemcunque ILLVSTRISSIMIS NOMINIBVS VESTRIS inscribendam, probabili profecto audaciae excusatione vti videar. Sed praeter hanc omnibus ciuibus Saxoniciis, quippe sensu illo plenissimis, communem, alia mibi magis propria

propria patet ex ipsius scriptionis argumento repetenda. In ea enim, cum Romani Imperii rationarii, locupletissimi profecto Romanorum Imperatorum in administranda republica prudentiae diligentiaeque documenti, imaginem adumbrare conatus fuerim, innumera illa, quae VOS quoque, VESTRAE in gubernanda republika virtutis extare voluistis monumenta, timentem quidem me ad VESTRAM accedere amplitudinem, tam incitarunt, proponendaque tali imagine talium VIRORVM benevolentiam facilime me mibi esse conciliaturum, confirmarunt. Supplex veneror Numen diuinum una cum bonis ciuibus omnibus, iubeat VOS quam diutissime viuere ac vigere, quo patria nostra, curae VESTRAE commissa, felicitate exteris inuidenda, posteris vero admiranda, perpetuo floreat.

## ILLVSTRISSIMIS NOMINIBVS VESTRIS

Scripsi Lipsiae,  
d. XXIX. Apr. MDCCCLXXIII.

ADDICTISSIMVS  
CHRISTOPHORVS FRIDERICVS WOLLE,

## C O N S P E C T U S.

### *Prooemium.*

- §. 1. *De voce rationarii.*  
§. 2. *De aliis rationarii nominibus. Breuiarii vox explicatur.*  
§. 3. *De tabulis accepti et expensi ciuium Romanorum. De priuatis imperatorum breuiariis.*  
§. 4. *Seruus iam Tullius diligenter notauit ipse rationes publicas, et rempublicam diligenter nosse conatus est.*  
§. 5. *De Pompeii in imperiu rebus scientia. Lotus Ciceronis de senatoribus Romanis.*  
§. 6. *Quomodo libera republica redditus publici et expensae, tanquam pars rationarii, notabantur et conservabantur. Langlaeus obiter notatur.*  
§. 7. *Augustus in rationario et rationes publicas, et ceteras res, ad bene regundam rempublicam necessarias, descripsit.*  
§. 8. *Loca Taciti, Suetonii, Dionisque Caffi commemorantur.*  
§. 9. *Consilium, quod Augustus in rationario scribendo fecutus est, in viuersum ostenditur.*  
§. 10. *De administris, quibus adiutus fuit Augustus in hoc libro. De dimensionibus agrorum factis sub eo.*  
§. 11. *Tabulae censuales ipsum adiuerunt.*  
§. 12. *Quomodo vestigalia scire potuit?*  
§. 13. *Ad rationarium ipsius partes progreditur oratio. Primo milites illud continebat. De militia sub Augusto mutata.*  
§. 14. *Porro prouincias et regna. Quid per regna intelligat Tacitus?*  
§. 15. *Porro redditus publicos. De tributis et vestigialibus, aerario et fisco, et priuata pecunia differunt.*  
§. 16. *Neccesitates et largitiones. De largitionibus principum. Pars, quae complectebatur largitiones, dicebatur liber beneficiorum.*  
§. 17. *Quid olim beneficium significabat, et qualis erat libera republica liber beneficiorum, antea ostenditur.*

§. 18.

- ◆ ◆ ◆
- §. 18. Beneficia etiam sunt omnino dignitates. Quae dignitates in aetate seruabantur, quae in commentario principis notabantur?
- §. 19. Perpetuo in libro quodam consignabantur diligenter dignitates. Liber ille post vocabatur laterculum.
- §. 20. Sed in rationarii ea parte, quae liber beneficiorum dicitur, notabantur primo fundi.
- §. 21. Deinde et priuilegia.
- §. 22. Et reliqua, quae concessa erant a principe.
- §. 23. De extrema rationarii parte. Num et ordinatio Comitiorum pars fuerit eius.
- §. 24. Cur annotasse dicatur seruos et libertos Augustus.
- §. 25. Num λογισμὸν sit fragmentum imperii rationarii?
- §. 26. Augusti exemplum reliquos imperatores excitauit, ut et ipsi rationaria conficerent.
- §. 27. Tiberius initio imperii, deinde Caligula tale confecit.
- §. 28. Claudius, Nero, Vespasianus. Num instrumentum imperii fuerit rationarium?
- §. 29. Num etiam Domitianus tale conscripsit, disquiritur.
- §. 30. De Nerone atque Traiano id probatur.
- §. 31. De Hadriano.
- §. 32. De Alexandro Seuero.
- §. 33. Quo tempore imperatores ab hac diligentia desciuisse videntur.
- §. 34. Num laterculum, sive notitia, dici possit imperii breuiarium.
- §. 35. Quae breuiarii partes insertae sunt laterculo.
- §. 36. Rationes publicae posteriori aetate sub comitibus sacrarum largitionum et rerum priuatarum scribebantur. De his comitibus exponitur.
- §. 37. Vecigalia et tributa in scriniis canonum scribebantur.
- §. 38. Necesitates in scriniis numerariorum. De scrinio vestium differit.
- §. 39. Largitiones in scriniis beneficiorum, et largitionum priuatarum, consuebantur.
- §. 40. Recentiora imperiorum rationaria commemorantur.
- Epilogus.

PROOE.



## PROOEMIVM.



H aeret haec in animis multorum infixa opinio,  
res, in quibus abdita latet antiquariorum indu-  
stria, tantae esse leuitatis futilitatisque, ut qui  
tempus, longe grauioribus vitae negotiis  
surreptum, in ipsis defigant, quodam quasi  
crimine sese obligare videantur. Neque qui putidam  
istam, qua profecto plurimi vel eruditissimi antiquariorum  
in rebus, nulla, quam vetustatis specie amabilibus, versati  
semper sunt, diligentiam, considereret animo, in multorum  
certe tardiorum hominum, neque tam vniuersum antiquitatum  
studium complectentium, quam singulas eius partes contra-  
stantium, mentibus, talem opinionem natam confirmatamque

B

esse



esse, magnopere mirabitur. Inanis vero studii vel minima suspicione, cum nihil nobis intolerabilius semper visum fuerit, ut omne nostrum antiquitatum studium ad utilitatis finem direximus, ita in primis materiae cuiusdam, qua elaboranda ad summos nobis in Iure honores aditum aperiremus, ex eam quasi sylva eligendae consilium, ad eundem esse quam diligentissime accommodandum, maleuolorumque adeo hominum conuiciis caussam omnem quam sollertissime esse subtrahendam censuimus. Etsi vero in iustissimam omnium reprehensionem incurreret eorum labor, si qui ad epularium apud Romanos sollemnitatem, ciborum varietatem, vestium formam, aut alias huiuscmodi res, ex monumentorum vetustate eruendas, se se demitterent: eorum tamen qui ad reipublicae Romanae descriptionem, in primisque egregiam illam, qua breui tempore supra certera regna fere omnia caput longissime extulit imperium Romanum, publicam disciplinam cognoscendam adsurgerent, eorum igitur industriam reprehensionis omnis impetum facillime subterfugere posse, conieci mus. Ad cuius quasi spectaculum accedentibus olim nobis, hoc consilio, ut quaereremus, quid lateret adhuc tenebris involutum, ac quodam orationis quasi lumine indigeret, tanta que tamen praestantia pulchritudineque splenderet, ut ipsam imitandi posset cupiditatem incendere, obtulit se se illud, in quo olim conficiendo occupata fuit Imperatorum diligentia, Imperii Romani rationarium. Nam quae vel a TACITI, SVETONII, DIONISQUE CASSII commentatoribus, vel a PANCIROLIS ad Notit. Imper. EVLENGERIS de *Videligal.* 95. et de *Imperio Romano Lib. II.* c. 12. GUTHERIIS de offic. dom. Aug. reliqui enim si qui forte cantilenam modo BOECLERI politicam reperierunt, ad nos non atinent, sed ab illis admonita deprehenderemus, aut rudia indigestaque elaborantis cuiusdam ac digerentis diligentiam flagitare, aut imperfecta inchoataque, multisque errorum tenebris obscurata

scurata, absoluētis perficientisque ac lucem accendentis inge-  
niū desiderare, aut densis sententiarum politicarum inuolucris  
obruta ac deformata, talibus illa denudantis, aliamque iis spe-  
ciem induentis, prudentiam postulare videbantur, merebatur  
que tamen profecto illud Imperii Rationarium, ut eius ratio  
ex veterum scriptorum monumentis diligentissime expressa  
proponeretur. Quare si tempus viresque nostras ad inchoatam  
eius imaginem absoluendam, rationariumque inde ab eius natali-  
bus usque ad recentissima tempora deducendum, ex legibus  
que nostris illustrandum conferremus, ingenii nostri qualis-  
cunque diligentiaeque ostendenda, amplissimum quasi campū  
sese aperire iudicauimus. Quod nostrum de hoc argu-  
mento iudicium, tractationemque eius ipsam, si vna illa ple-  
rumque, sed tamen optima laboris omnis mercede, suffragio  
suo dignum iudicauerint periti harum rerum aestimatores, uber-  
imani laetandi causam suppeditatam nobis esse existimabimus.

§. I.

Ut vero in prima statim disputatione nostra ad ipsius  
vocis naturam originemque indagandam, sicut par est, descen-  
damus, quippe illa haud euoluta res plerumque ipsa subiecta ei  
tenebris obducta iacer, notandum est, rationarium abbre-  
viatum esse contractumque ex *ratiocinario*, quam vocem et in  
S V E T A Aug: c. 18. in codice quodam *Copefano* deprehendit  
B V R M A N N V S, breuitatisque causa pro *ratiocinario* fuisse  
adhibitum, unde et qui rationibus praefunt, aliasque *ratiocina-*  
*tors* vocantur, et *rationales* apud L A M P R I D I V M, in ALEX. SEV.  
c. 45. *Capitolinum*, CLOD. c. 2. et in plerisque antiquis lapidibus,  
legibusque nostris passim, eos igitur vulgo *rationarios* audiuisse,  
ex h. 15. f. 5. de *Excusat. titor.* adparet. Dicitur vero *rationa-*  
*rium*, *rationariumque*, etiam *codex rationarius*, liber in quo re-  
rum rationes continentur. Atque cum ille, de quo nos dicimus,  
liber, imperii rationes contineret, eiusque totae in eo exposi-

iae iacerent opes, facile adparet, cur ille fuerit imperii rationarium appellatus.

§. II.

Sed et aliis librum hunc nominibus insignitum fuisse inuenimus. SVETONIUS quidem in *Caligula c. 16.* pro rationario, dixit omnino rationes imperii. APPIANVS vero in prooemio *I. I. de bell. civil.* illud rationarium Imperii, βεβλον, quemadmodum SVETON. in *Aug. c. vlt.* ceterique scriptores breuiarium appellant, de qua voce et ipsa quaedam monenda videntur. Ac breuis quidem, et breue vnde ortum trahit breuiarii vox, dicitur omnino index, in quo aliquid memoriae notitiaque caussa scribitur. Sic LAMPRIDIVS in *Alex. c. 21.* Milites suos se sciuit, ut in cubiculo suo haberet breues, numerum eorum indicantes. VOPISC. AVREL. c. 36. breue nominum, ad quae loca SALMASIVS, CASAVBONVS que conferri merentur. In primis tamen rationum codices quae et *Calendaria, Αγράφα, ἐπιτομαὶ* dicuntur, breues, βεβλα appellari, multis ex veterum scriptorum locis, probat DV FRESNE, *Glossar. lat.* cfr. Cl. TROTZ, *ad Hugonem, de prim. script. origine*, p. 368. Breuiarium autem, quod singulari quodam ad nos haud perinente sensu in iuris Canonicis corpore occurrit, vbi modo denotat enchiridion precum, modo librum, in quo ceremoniarum ritus continentur, est quidem plerumque rei compendium ac epitome, hoc que sensu, et si SENECA illud *ep. 39.* reprobat, summiusque ei substituendum esse censet, a multis tamen veterum scriptoribus usurpatum legitimus, velut a PLINIO, XVIII, 26. VII, 26. et a SVETONIO multis alijs locis, sed hunc nostrum tamen librum, cum breuis vox saepe de rationum codicibus adhibetur, propterea in primis, idque recte appellari imperii breuiarium, neque adeo cum TORRENTIO ad SVET. AVG. c. 101. formulam imperii, esse appellandum, existimauerim.

§. III.

## §. III.

Intelligendum vero est de istis priuatarum rerum breuiariis, a diligentissimis olim imperatoribus Romanis, quemadmodum a reliquis patribus familias confectis, hanc esse sermonem nunc a nobis susceptum. Constat quidem ex multis veterum scriptorum legumque locis, eam inde a primis temporibus apud Romanos, ad consertiandas non modo cuiusque opes, verum et ad ipsam reipublicae salutem conseruandam, praeclaram consuetudinem, ut quisque paterfamilias, accepta quovis die atque expensa, credita ac debita, in tabulis fidelissime consignata, ordineque quodam digesta habere, necessitate cogeretur. Cuius consuetudinis beneficio non modo aestuari adcurate opes cuiusque ac facultates poterant, onerumque adeo conferendorum partes iuste describi, sed etiam si qui dissolutius viuerent, patrimoniumque inanibus sumbris dissiparent, notis a Censoribus, quippe quibus aperiae patabant istae tabulae, inurendis, animo eorum ad meliorem frugem conuerti. vid. **HOTTO MANN** ad *Cit. pro Rosi. Com. c. 1.* Itae vero tabulae, quales et publico iture munitas habebant, qui pecuniae publicae credendae operam interponerent, a more a Graecis ad Romanos ducto, id quod ex **PLVTARCHI Lucullo, c. 41.** **ARISTOPHANE-** que in *Nub. act. II. sc. 1. v. 745.* elucet, singulorum mensium, Kalendis vsuras exigendi, *Kalendaria* appellantur, in *l. 3. Cod. de Compensat. l. 88. ff. de legat. II.* quemadmodum in *l. vlt. D. de pecul. legat. breuiariae rationes;* ex quibus tabulis natam esse conditionem ex chirographo constat, si debitor ipse creditoris tabulis nomen inscripsisset, stipulatioque accessisset. Alias enim, si creditor modo nomen debitoris inscriperat, non validam istae tabulae obligationem inducebant, nisi aliis administrulis adiutae, aut contra scribentem probaturaee, *l. 5 et 6. C. de probat.* cfr. **AVERANIUS** *interpr. iuris*, *p. 23. HVBERT* *diff.*

*II. de Argentariis veterum, in Thesauro Diff. Belg. Vol. II. T. I.*  
*p. 99. Atque diligentes imperatores Romanorum, ut erant*  
*omnino in vitae sua quotidiana domesticaque negotiis, in*  
*commentariis suis consignandis, occupati, ut ex Svet. Ti-*  
*ber. 61. Claud. 41. aliisque scriptoribus adparet; ita et pecu-*  
*niae priuatae, quam separatam a publica in patrimonio suo*  
*possidebant, rationes, more reliquorum ciuium, in breuiariis*  
*prescribere solebant. Id quod de Augusto DIO CASSIUS*  
*l. 54. 35. de Galba SVETONIVS c. 12. de Vespasiano, IDEM,*  
*c. 22. testatur. Quemadmodum vero singuli fere priuati homi-*  
*nes, ad pecunias tractandas, rationumque catalogum texendum,*  
*seruoram, qui, ut ISIDORVS tradit, ab antiquo pecuniae ad*  
*pendendae more, in l. 51. ff. de solut. aliisque locis dispensato-*  
*res vocantur, opera vtebantur, sic et imperatores ad priuatam*  
*pecuniam suam curandam, tales dispensatores seruos adiunctos*  
*sibi habuisse, ex SVETONII locis, faxisque, vbi tales saepe*  
*numero occurunt, cognoscitur, quamuis posteriori aetate sub*  
*officio comitis castrensis tabularios hoc munus gessisse inueni-*  
*mus. Vid. SALMASIVS ad Ael. Lamprid. p. 19. edit. Parif.*  
*LA COB GODOFRED. ad Cod. Th. T IV. p. 95. POPMA de*  
*oper. seruor. in suppl. Thes. Gronov. p. 1328. Sed non istius pri-*  
*uatarum rerum breuiarii, ad cognoscendum haud fructuosi,*  
*verum imperii imaginem breuiarii adumbrare nunc consti-*  
*tuimus.*

#### §. IV.

Prius autem, quam Augusti aeuo rationarioque ab eo  
 confecto insistamus, ne eam, quam multi souent, et nos  
 probemus opinionem, Augustum primum et vidisse diligen-  
 tioris reipublicae cognitionis necessitatem, et eius sibi compa-  
 randae studio flagasse, ad antiquissima Romanorum tempo-  
 ra ut redeamus animo, ac quis olim iam talis rationarii spe-  
 ciem complexam animo tenerit, ut ostendamus, deinceps vero,  
 quo-

quomodo libera republica rationes publicae, tanquam praecipua rationarii Augustei pars, fuerint scriptae conservataeque, monstramus, consentaneum videtur. Ac Seruum quidem Tullium, cuius, si a Numa, sacris tamen modo Romam inducis, ferocitateque ciuium religione deorum mitigata, nobilitato, discedamus, cuius igitur singularis omnino in gubernanda republica prudentia alacritasque eluxit, cum numerum ciuium eorumque opes diligenter cognoscendi, variarum legum auxilio conatus fuisset, totas reipublicae rationes, veluti diligens paterfamilias, priuatae domus opes, in tabulas ipsum retulisse, auctores sunt DIONYS. HALICARNASS. l. 4. FLORVS VI. commentariorumque SERVII TULLII meminit LIVIVS l. 1. in fine. Ob quam summam in consignandis vel minutissimis reipublicae rebus diligentiam, quae vel accuratissimi patrisfamilias, multo paucioribus rebus administrandis praefecti, aequabat diligentiam, eum esse putatum ex Lare domus, familiaeque tutelari deo, in regia Tarquinii, ex foco genitum, coniuit PIGHIVS L. I. Annal. p. 46. cfr. RUPERTVS ad Florum, p. 115.

§. V.

Neque existimandum est, libera republica ita fuisse Romanos aut obtusos, ut non perviderent talis cognitionis necessitatem, aut ita incuriosos, ut de tali sibi comparanda haud magnopere laborarent. De C.N. quidem POMPEIO, cuius in perspicienda publica salute acumen, imperiique rerum cognoscendarum cupiditatem, CICERO in ep. ad Atticum, saepius laudat, sed de illo, ait idem pro Balbo c. 6. praestabilem eius esse scientiam, in foederibus, passionibus, conditionibus populorum, regnum, exterarum nationum, in uniuerso denique iure bellicae pacis. Quid? Quod in cognito isto omnibus loco de legib. l. III. 18. omnium senatorum Romanorum esse dicit, ita nosse rem publi-



publicam, ut, quid habeat militem, quid valeat aerario, quos socios res publica habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque sit lege, conditione, foedere, accurate teneat. Ex quibus locis, Augusti animum, non primo talium rerum diligenter cognoscendarum, id quod multi, eius prudentiae nimium tribuentes, sibi persuadent, subiisse cogitationem, sed multos iam ante ipsum ad eas animum aduertisse, intelligitur.

### §. VI.

Sed quomodo et a quibus libera res publica redditus publici expensaeque, quae praecipua erat rationarii Augustei pars, consignatae fuerint conseruataeque, priusquam ad ipsum veniamus, age iam videamus. Ac libera quidem res publica, omnem pecuniae publicae et accipiundae et expendundae curam, Quaeſtorum Urbanorum ac Prouincialium fidei suisse demandatam docet TACIT. Annal. XIII. 29. aliique multi scriptores, quorum hos in primis vestigalia curasse, redditusque a publicanis exegisse, inuenimus. Vtrosque vero acceptae expensaeque pecuniae rationes diligenter conficere, in tabulasque relatas, aerario inferre debuisse, ex LIVIO, IV. 53. XL. 41. TACIT. Annal. XIII. 28. cognoscitur. Vid. Aſton. in Verrem, I. Campianus, de officio Quaeſtorum, p. 200. PERIZONIUS de Senat. et ordin. magistr. in Thes. Disp. Belg. Vol. II. T. II. c. 3. Quare libera res publica in aerario, ad quod et magistratus omnes prouinciales post redditum suum rationes referre cogebantur, vid. SIGON. de Ant. Iure Prou. p. 608. omnium reddituum expensarumque quasi catalogum quendam diligenter suisse consernatum, recte nos coniicere posse opinamur. Notandum vero hic obiter est quidam LANGLAEI in Semestr. V. 5. error, qui de rationario imperii loquens, nescio qua ratione impulsus, quibusue argumentis nixus, instrumentum regni, quod ad LEPIDVM ANTONIVMque delatum esse, CICE-

RO

**R**O ad Brutum, ait, rationarium imperii fuisse credit, cum tamen instrumentum regni ibi honores sint ac praemia, quibus homines ad regiam potestatem parandam abuti possunt.

### §. VII.

Sed istam publicarum rationum confiendarum curam Augustus, imperio potitus, Quaestoribus ademtam in se sive cepit, ex aerariique custodia exemptas, apud se reseruauit, quippe eas in eo, quod rationarium imperii dicitur, libro, in quoque et totas imperii Romani opes, quarum cognoscendarum ad bene gerendam rempublicam necessitatem, iam olim multi viderant, complexus est, diligenter descripsit, reliquisque imperatoribus ad idem faciendum quasi signum quadam sustulit. Neque qui ceteras res Augusii gestas, ab historiis fide litteris consignatas percurserit, talis ipsum liber scribendi consilium cepisse mirabitur. Ex iis enim omnibus, quemadmodum singularis in excogitando solertia astutiaque, atque in exequendo alacritas, ita in primis ad quam ipsum adegerat contra ciuium, principatus adhuc insolitorum, imperium sese muniendi, necessitas, tanta eluet prouidentia ac quasi timiditas, ut nihil fere, nisi diligenter dimensis imperii opibus, suscepisse videatur. Cuius et varia symbola in variis eius nummis expressa cernuntur.

### §. VIII.

Quoniam autem in trium potissimum scriptorum, SVETONII puta, TACITI, DIONISQUE CASSII, locis, tanquam in fundamentis, totum est Augustei rationarii aedificium exstruendum, ut illa ante omnia cognoscenda proponamus, admonet ratio. Ac Svetonius quidem in Aug. c. 28. de reddenda, ait, *republica, bis cogitauit, primo post depresso statim*

C



tim Antonium, memor, obiectum ab eo sibi saepius; quasi per ipsum staret, ne redderet, ac rursus taedio diuturnae valetudinis, cum etiam magistratibus ac senatu domum accitis, rationarium imperii tradidit. Idem c. vlt. inter volumina ab Augusti diligentia conscripta, commemorat breuiarium totius imperii, quantum militum sub signis ubique esset, quantum pecuniae in aerario et fiscis, et vestigiorum residuis. Addicet et libertorum seruorumque nomina, a quibus ratio exigi posset. TACITVS autem, eo quo de Tiberii in suscipiendo imperio reluctantia differit, loco, eum, ait, proferri iussisse librum, atque recitari. Opes publicae continebantur, quantum ciuium sociorumque in armis, quot claves, regna, prouinciae, tributa, aut vestigalia, necessitates atque largitiones, quae cuncta sua manu perscriperat Augustus, addideratque consilium coercendi intra terminos imperii, incertum metu an per inuidiam. Neque DIO CASSIVS librum hunc silentio praeterit, lib. LIII. 30. Cum Augustus, morti vicinus, magistratus, omnes senatores, ac equitum primores conuocasset, eum, ait, Pisoni, suo in consulatu collegae libellum, in quem exercituum et redditum publicorum indicem conscriperat, tradidisse. Agrippae vero annulum: de quo more digna sunt, quae legantur a KIRCHMANNO, de annulis, c. 22. et LONGO, de annulis, p. 100. prolatata. De toto vero huius libri arguento, diligentius idem exponit, l. LVI, 33. vbi de libris Augusti in senatum illatis, et a Druso recitatis, loquitur, τὸ τρίτον, inquit, τὰ τε τῶν σρατῶν, καὶ τὰ τῶν προσόδων τῶν τε ἀγαλωμάτων τῶν δημοσίων τὸ τε πλήθος τῶν ἐν τοῖς Θησαυροῖς χρημάτων προσαῦλα τοιετέροπα ἐς τὴν ἡγεμονίαν Φέροντα ἥνεχε. Tertio libro, summam militum, redditum, impendiorum publicorum, pecuniae, in aerario et fiscis, aliaque id genus ad imperium pertinentia, indicabat.

## §. IX.

§. IX.

19

Ex quibus tribus trium historicorum locis, collatis inter se atque coniunctis, libri huius Augustei argumentum luculentiter potest cognosci. Erat nempe, ut initio statim leuiter modo eius adumbremus formam, hic qui imperii Romani rationarium dicitur liber, quemadmodum iam **BYDAEVS** ad *Pandectas de officiis*. Quae*st. laudatus à GYTHERIO*, *de officiis dom. Aug. p. 8.* eum descripsit, quasi imperii Romani status, ac praeter eas, quae ipsi subiectae iacebant, prouincias, ac quibus circumscriptum tenebatur, terminos, aliaque nonnulla a nobis deinceps diligentius excutienda, in primis totas, quibus illud et belli tempestate defendi ac sustentari, et pacis tempore ornari amplificarique posset, opes completebatur. In quo conscribendo mutandoque quotidie non modo hoc consilium fecutum fuisse Augustum, intelligitur, ut absolutissimam totius, cui praeerat, imperii imaginem, perpetuo ob oculos haberet, inanique quodam spectaculo animalium pasceret, sed etiam ut ab eo adiutus, quomodo ornamenta reipublicae conseruare atque augere, inopiam vero eius instruere ac subleuare posset, eo facilius statueret, ciuitatisque adeo salutem eo firmius stabiliret. Atque nisi reipublicae hoc modo cognoscendas necessitas, consiliique adeo huius prudentia, diligentiaeque quam Augustus adhibuit magnitudo, satis sine orationis lumine luceret, vehementerque nos a ridiculo isto veterum commentatorum ac recentiorum quorundam historicorum more, veterum scriptorum loca non tam explicando aperiundi illustrandi, quam sententiarum politicarum inuolucris regendi obscurandi, neque tam res gestas ex monumentorum fide, diligenti studio erutas narrandi, quam formulas quasdam tritas decantandi, nisi igitur ab illo more vehementer abhorremus, possemus et nos in hoc libro ab utilitate insigni commendando, dicendi quan-

C 2

dam



dam vim et copiam ostendere. Sed haec et similia BOECERIS eorumque similibus relinquentes, age iam ad grauiora, magisque incognita transgrediamur.

§. X.

Nam quibus in his tam vasti imperii opibus consignandis quasi adminiculis adiutus fuerit Augustus, atque unde tam diligentem rerum in rationario conseruatarum omnium haurire potuerit cognitionem, operae videtur pretium indagare. Ac imperii quidem Romani agrorumque ipsorum limitibus diligenter designandis, inferuebant haud dubie illae imperii dimensiones, auctoribus multis veterum scriptoribus, sub Augusti imperio, quemadmodum et postea saepe institutae. AGGENVS quidem in FRONTIN. de limit. agror. p. 65. edit. Goef. Videamus, ait, ne iusu principis aliqui datus sit, qui terram denuo metiri praecepit, sicut Caesaris Augusti temporibus factum est. FRONTINVS autem de Col. p. 90. Balsum mensorem temporibus Augusti omnium prouinciarum formas, et ciuitatum mensuras compertas, in commentarium contulisse affirmat. vid. CASAVE. ad Bar. Ex. I. 33. Intelligendum vero est formas agrorum limitationesque, in tabulis a mensoribus descriptas, vna cum iis, in quibus explicatae illae illustrataeque reperiebantur mensorum commentariis, in tabulario Caesarum seu sanctuario fuisse conseruatas. SICULVS FLACCVS, de condit. agror. p. 16. omnium agrorum et diuisorum et assignatorum formas, sed et diuisiōnōm commentarios, principatus in sanctuario habet. Ad quem locum, vid. RIGALTIVM, et GOESIVM, BULENGERI in primis ineptias merito carpentem. Quare talium a mensoribus confectorum commentariorum, in tabulariōque conseruatorum ope facile potuisse Augustum, imperii Romani agrorumque omnium limites in hoc libro diligenter designare, adparet.

§. XI.

## §. XI.

Neque tributorum vndique conferendorum, ipsorumque ciuum ac sociorum numerum clarissime innotescere Augusto, litterisque ab ipso mandari potuisse, mirandum est. Varios enim sub eius imperio, omnibus fere in prouinciis, quemadmodum et in Iudea, Archelao remoto, Quirinoque praefide, noui tributi imponendi caussa, actos esse census, narrat **DIO CASSIVS lib. LVI.** Et quemadmodum iam olim Romae haec viguerat consuetudo, vt interdum nomina omnium ciuum describerentur, non modo bonorum in censu deferendorum, sed etiam ciuum, quorum fortitudine posset defendi reipublicae salus, multitudinis cognoscendae caussa, ita et Augustum, eo quo seruator noster nascebatur tempore, edixisse, vt πᾶσα ἡ οἰκουμένη, totus terrarum orbis, i. e. imperium Romanum, tali modo censeretur, ex **D. LVC A Euangel. II.** elucet. Nam illam eo tempore factam descriptionem, non fuisse ἐπιτίμησιν τῶν ἔστων, sed ἀπογραφὴν τῶν ἀνθρώπων, ex Iudeae, nondum tum temporis prouinciae tributariae populo Romano statu, turbarum, quas alio semper tempore talis conatus in singulis prouinciis excitarat, magnitudine, ipsiusque censis habitu ratione, praecclare demonstravit **PERIZONIUS de Augustea orbis descriptione.** Tabularum igitur censualium, illo tempore consecatarum, auxilio, numeri ciuum cognoscendi, quemadmodum alio tempore scriptarum, tributorum diligenter accipiendorum, Augusto sicut facultas concessa.

## §. XII.

Vestigialium vero rationem omnem, incertam illam continuisque mutationibus obnoxiam, diligentissime tamen potuisse in hoc rationario ab Augusto notari, ne ipsis quidem eorum residuis neglectis, ita est intelligendum, vt non tam

C 3

singu-



singulorum vectigalium numerus, quippe singuli haud singula  
fisco ipsi penderent, sed potius, cum omnes ex vectigalibus  
percipiendi reditus, Publicanis, equitibus plerumque Romanis,  
essent locati, haec modo ab his soluenda pecunia notata ab  
eo fuerit. Quae cum esset certa, in locandisque vectigalibus  
definiretur, in ea et cognoscenda et litteris consignanda, haud  
magnam difficultatem obiectam Augusto, intelligitur.

### §. XIII.

Sed ostensis iam iis, quibus Augustus in rebus ad co-  
gnoscendum difficilibus, breuiario hunc suo inferendis, adiutus  
fuit adminiculis, age iam ad singulas eius partes nos demitta-  
mus, ac quae in eo scripta fuerint seruata, singulatim omnia  
ac diligenter, ita, vt in rebus ad cognoscendum obuiis, bre-  
uiter, in rebus vero difficilioribus magisque incognitis, diu-  
tius immoremur, ostendamus. Ac primo quidem, vt bello  
orto satis esset aduersus hostium impetus munitus, cognitaque  
copiarum suarum, quas hostibus opponeret, multitudine, iusta  
quasi lancee vires suas posset ponderare, notauerat in hoc  
suo rationario, quantum cūiūm sociorumque in armis esset,  
quotque haberet classes, vt TACITVS ait, sive vt SVETONIUS  
exprimit, quantum sub signis ybique esset. Augustum  
quidem, cum intellexisset, in militum fortitudine firmissi-  
mum sibi contra ciuium, adhuc imperii insolitorum, paratum  
esse praesidium, singularem omnino rei militaris curam gesisse,  
veterisque militiae quasi formulam, quippe statui monarchico  
haud amplius conuenientem, penitus mutasse, ex DIONE  
CASSIO, SVETONIO que, constat. Quare non amplius  
sub ipso, necessitate aliqua postulante, quemadmodum olim,  
legebantur milites, sed perpetuo ii et per prouincias, in locis  
ad adorandum apertis dispositi, et intra vrbum ipsam, ad eius  
custodiā inclusi, stabant. Neque modo ex ciuium robore  
copiae

copiae legebantur, sed etiam multi ex populis, foedere quodam cum Romanis coniunctis, sacramento militari adstriguntur. Vid. SVETON. c. 49. DIO CASSIVS I. LII. HERODIANVS II. II. Quos, ut alere posset, praemissaque ad subeundam militiam allicere, militare etiam ab ipso aerarium institutum fuisse inuenimus. SVET. Aug. 35. Ut igitur id, quod in milite perpetuo constitudo sibi proposuerat, consilium obtineret, quibus ac quomodo copiis suis, necessitate cogente, vii posset, diligenter sciret, militum ex ciuibus sociisque lectorum, variisque in praesidiis dispositorum, quemadmodum et classium, ad maria tutanda, ab ipso, ut docent veterum scriptores, locatarum, numerum locumque adcurate descripsit.

#### §. XIV.

Praeter militum copias, classiumque multitudinem, in eodem etiam libro, prouinciarum regnorumque numerum, Tacito narrante, descripserat, quibus belli tempestate, potentia imperii Romani, pacis vero tempore, splendor eiusdem augebatur. Prouinciae dicebantur, ut satis constat, eae regiones, quae vi armisque deuictae, sub potestatem populi Romani venerant, legibusque suis ac magistratibus spoliatae, ad variam erant, pro foederum varietate, condicionem subeundam coactae. Sed quae regna intellexerit Tacitus, diligenter disquirendum videtur. Scilicet cum non modo multis potentesque populos, ad sororitatem depressoissent Romani, ad obedientiamque sibi praestandam vi compulissent, sed cum multis etiam exteris regibus quoddam societatis vinculum contraxissent, beneficiisque eos sibi obligassent, qui socii amicique populi Romani vocabantur, hos socios reges, vel propterea, quod, ut videtur, copiis iuuerint Romanos, tributaque quaedam pependerint, notasse Augustum innuit

Taci-



Tacitus. Neque, ut videtur, eos tantum notauit, qui anteiam reges apud suos, regnum modo confirmatum acceperant a Romanis, aut a regio antea fastigio alieni, ad priuatorumque sortem depresso, primum erant ad regiam dignitatem a Romanis euecti, sed eos etiam, qui neque acceptam illam primum Romanis ferebant, neque in ea confirmati erant ab iis, verum apud suos modo reges vocabantur. Nam, cum talibus quoque, societate suis coniunctos Romanos, ex CAESARE de bell. Gall. I, 34. LIVIO XXXI. II. recte demonstrat III. KÜSTNERVS in erudita diff. de modo regum appellandorum. Omnes igitur isti socii reges, cum ii omnes splendori virilitati que imperii Romani inseruissent, in illo TACITI loco haud dubie intelligendi sunt.

### §. XV.

Praecipua tamen huius libri pars erat redditum expensarumque catalogus, quippe ex quibus in primis imperii aestimantur opes. DIO CASSIVS, ait, τὰ τε τῶν προσόδων, τὰ δὲ τῶν ἀναλημάτων εἰχε. Omnis vero, quae in thesauros publicos influeret pecunia, cum aut tributi aut vestigialis nomine penderetur, tributa, inquit TACITVS, vestigaliaque in eo reperiebantur. Ac tributum quidem, etsi interdum pro vestigali, vti a PAPINIANO l. imperatores, de public. ab VLPIANO l. 1. de Quaeſt. usurpatum, proprie tamen, vt VARO l. IV. de L. Lat. ait, erat pecunia, populo imperata, quae tributum a singulis pro portione censu exigebatur, eratque in primis ab Augusto in prouinciis, vestigilibus sublati, in caput ac solum impositum. Neque ab tributi conferendi onere, a quo libera republica, post collectas bello Macedonico diuitias, liberi fuerant cives, sub imperatoribus liberi ii manebant, sed potius gratius illud factum duriusque intenimus. Quae vero alio nomine exigebatur pecunia, dicebatur vestigal, quod, etsi proprie de pecunia pro vectura soluenda dicebatur, deinceps tamen,

tamen libera republica ad redditus omnes ex scriptura, decumis,  
ac portoriis transferebatur. Atque ipsis vestigalibus multa  
noua genera addidisse Caesares, in primisque Augustum inue-  
nimus: de quo SVETON. c. 49. ait, *Aerarium eum militare*  
*cum multis nouis vestigalibus instituisse.* Omnia vero vestigalia  
cum essent Publicanis pro certa pecunia locata, facile est, ut iam  
supra monuimus, ad intelligendum, quomodo rationes eorum  
omnium potuerit scire Augustus. Ad vestigalia etiam perti-  
nebant stipendia, vestigalia illa certa, quae populis bello victis,  
qui stipendiarii vocantur, erant imposita, quamvis saepius  
cum vestigalibus illa confundi inuenimus. VID. BVRMANN  
de *vestigal.* p. 2. *Venerabilis ERNESTI, praceptoris nostri ac*  
*Patroni, summa pietate deuenerandi, Clau. Cic. voce stipendiarii.*  
Quos redditus omnes apud Romanos post oppressam libertatem  
sub Cesarum imperio, ad XV. auri miliones adscendisse, ex VEL-  
LEIO PATERCVLO, SVETONIO que, colligit ONVPHRIVS  
PANVINIVS de *Imper. Rom. in Thes. Graeu. T.I.* p. 444. Pecunia  
vero publica cum non amplius, quemadmodum libera republica,  
in unum quasi receptaculum, aerarium influeret, sed inde ab Au-  
gusto, milite perpetuo instituto, separatae essent ab aerario ad popu-  
lum pertinentis rationibus, fisci aerariique militaris, principis arbitrio relieti, rationes, hinc notasse Augustum, ait, SVETON.  
*quae in aerario et fiscis, et vestigaliorum residuis fuissent.* Neque fisci  
rationes Imperii rationario insertas fuisse mirandum est. Etsi  
enim fiscus interdum res priuata adpellatur, SENECA de *benef.*  
l. VII. 6. magis tamen est quasi priuata, ac quasi propria, l. II.  
ff. ff. 4. ne quid in loco publ. adeoque eius rationes, imperii ra-  
tionario, quemadmodum eius, quam in priuato patrimonio  
possidebat princeps, pecuniae rationes, priuatis breuiariis in-  
serabantur. cfr. RAEWARD. *Varior. L. IV.* 4.

### S. XVI.

Non modo vero redditus publicos, quibus quasi ditatum  
fuerat imperium Romanum, notauerat in hoc rationario Au-

D

gustus,

gustus, verum et expensas in eodem scriperat. *Necessitates largitionesque in eo reperiebantur*, narrat TACITVS. Atque ad necessarias impensis, ad quas faciendas non sua eum voluntas compelleret, sed ipsius imperii ratio cogeret, pertinere intelligitur stipendia militibus data, magistratibus in primis iis, qui in provincias irent, soluta viatica, bellis gerendis aut publicis operibus curandis imperii sumtus, atque hoc sensu occurrere necessitatis vocem, et constat satis, et multis scriptorum exemplis a Lipsio ad Tacitum est comprobatum. Eadem ratione omnia ea, quae, nulla necessitate urgente, ex liberalitatis suae fonte in alios manare stüsseret, in hoc libro consignata custodiebat. Augustum quidem, ut imperii sui fundamenta fulcire, insolentesque principatus animos sensim paullatimque ei adsuaseret, militem donis, populum annona, omnes dulcedine otii pellexisse narrat TACITVS t. I. Annal. c. 2. DIO Cass. autem, t. LI. 21. et toto libro LIII. quemadmodum s. VETON. Aug. c. 41. multorum donatiuorum, congiariorum, agrotumue ab Augusto veteranis in primis assignatorum, meminerunt. Atque Augusti exemplum fecutos imperatores, populumque, praesertim milites, his lenociniis pellexisse, inuenimus. Inprimis tamen Calendis Ianuariis, diebusque suis natalitiis, quo et *puncti solatia*, seu *festas*, inter palatinos distribuebant, l. 4. C. de adu. diu. iud. Cod. Theod. de palat. satr. largit. ad quod negotium perficiendum, Quaestorum Candidatorum ministerio usos fuisse eos, non probat PANCIROLVS ad Notit. in Thes. Graec. Tom. VII. p. 1522. cum de praefectis aerarii, sub Alexandro Seuero institutis, id confirmet locus LAMPRIDII in Al. Seu. illorum igitur tempore, liberalissimos se praebuisse, imperatores inuenimus. Sed ut de variis largitionum beneficiorumque generibus diligentius exponamus, ac quaenam in hoc libro, eaque eius parte, quae liber dicitur beneficiorum, quae in aliis ab imperatoribus libris consignabantur, accuratius ostenda-

ostendamus, admonent nos multi, qui in multorum commentaria, ob Latinæ linguae inscitiam, irrepererunt errores.

## XVII.

Ac prius quidem, quam ad beneficia beneficiorumque librum prògredimur, exquisita quaedam significatio, beneficij voci antiquissimis temporibus subiecta, aperiunda, atque alius eiusdem beneficiorum libri, libera iam republica confecti, cumque hoc nostro haud commiscendi, argumentum describendum videtur. Libera scilicet republica beneficij vox de homine usurpabatur, a provinciali quodam magistratu, qui decessisset ex prouincia, Romamque rediisset, populo Romano ita commendato, vt in honoribus largiendis se liberalerem erga ipsum praestaret, aut in iudiciorum tempestate praesidio suo ipsum muniret. *cic. Arch. 5. BALB. 21. ad Div. V. 20.* Atque qui ita comites suos populo Romano commendabant imperatores, dicebantur *eos in beneficiis ad aerarium deferre.* Talem vero a magistratibus factam comitum suorum commendationem, non tam ad pecuniam, emolummentumque tale aliquod, quam ad honores a populo Romano aliquando accipiundos, profuisse ipsis, recte statuunt, *FR. GRONOVIVS de pec. vet. p. 253.* *GRAEVIVS ad Cic. pro Arch. Venerab. ERNESTI in Glau. Cic. voce beneficium.* Neque opinio haec est confutata satis, ab *Illustri GESEVERO, de origine Feed. p. 12.* qui putat, delationem in beneficiis factam, fuisse rationum referendarum portionem, pecuniaeque, comitibus ab imperatoribus ob merita eorum donatae rationes, separatis modo tabulis fuisse conscriptas. Nam cur pecuniae huius, comites inter distributae ratio, non simul cum reliquis rationibus, sed separatis fuisse ad aerarium delata, non adparer. Caussa vero, cur hominum, honorum accipiendorum causâ commendatorum, nomina ad aerarium deferrentur, quam quererit *Vir Illustris,* fuit haud dubie

D 2

haec,



haec, ut memoria eorum eo melius firmiusque conseruaretur. Erat vero magistratibus et numerus eorum, quos commendarent, et lege Iulia etiam tempus, intra quod illud sacerent, definitum, nempe triginta diebus, post rationes relatas. CICERO ad Messinium, Vegetius, II. 7. Liber igitur beneficiorum, libera republica in aerario conseruatus, ille dicebatur, in quo ii, quos populo Romano ob merita sua egregia commendarant prouinciales magistratus, relati reperiebantur. cfr. CASAV-  
BONVS ad Lamprid. Alex. Seu. p. 171. edit. Paris. CAROLVS SIGONIUS de ant. iur. prou. II. 11. modi

### §. XIX.

Omnino vero deinde ad ordines militares promotiones, omnesque honores ac dignitates, beneficiorum nomine insig-  
niuntur. Sic SVTON. de Tiberio c. 12. Venit etiam in su-  
spicionem, per quosdam beneficij sui centuriones, a commeatu castra  
repetentes, mandata ad plures dedisse ambigua. CAESAR in Com-  
mentar. de B. C. l. I, c. 9. se doluisse, ait, quod P. R. beneficium sibi  
per contumeliam ab inimicis extorqueretur: et CIC. pro Planc. c. 5.  
aedilitatem beneficium adpellat. Cfr. III. GEBÄVERVS l. c. et sic  
etiam haec vox, in l. 5. ff. de iurisdictione, aliisque legibus oc-  
currit. Atque intelligendum est, omnium quibus quaedam  
reipublicae administratio fuisse commissa, nomina, etiam in  
aerarium, si essent populi magistratus, aut in alium ab hoc  
vero rationario diuersum librum, neque cum illo, ut plurimi  
fecerunt, commiscendum, qui commentarius principis dice-  
batur, si principis essent magistratus, fuisse hoc consilio relata,  
ut aut ex aerario iis, aut ex principis fisco, annua darentur, id  
quod ex lege MODESTINVS, abesse, D. ex quib. caus. clarissime  
cognoscitur: ubi MODESTINVS ait, omnes magistratus aut ad  
aerarium, aut in fiscum principis fuisse delatos. Neque hic con-  
torta indigemus PERENNIONII II. Var. Let. c. 26. explica-  
tione,

tionē, qui verbum *deserre*, in hac lege duplice significatione accipit; cum alios nempe populi magistratus, ad aerarium, alios nempe principis, ad commentarium principis, quem Augusti tempore libertos ab ephemeride et mandatis scripsisse, ex marmore Corinthi coniicuit **PANCROLLVS** p. 1574. fuisse delatos, facile adpareat. Vid. TROTZ ad *Hugonem*, de prim. scrib. origine p. 377. et in primis laudatum ab ipso **BVRGIVM** Elect. c. IX. p. 326. T. I. Th. iur. Otton. Cfr. etiam **RAEVARD** de diu. Reg. l. 455.

### §. XIX.

Atque hic mos, omnes dignitates imperii in libro quodam prescriptas seruandi, inde ab Augusto perpetuo durasse videretur, ut ex multis scriptorum locis cognoscitur, velut **SVENTON**. *Vesp.* 21. vbi officiorum breuiaria occurunt **LAMPRID**. *Diu.* *Al.* *Seu.* c. 46. in primisque a Constantini aetate, qua tot noua dignitatum genera inuenta erant, singularem earum in laterculo notandarum, curam gestam fuisse inuenimus, ut deinceps videbimus.

### §. XX.

Veniamus autem ad ea, quae in beneficiorum libro, illa rationarii parte, notabantur beneficia, illiusque argumentum, diligentius describamus. Ac primo quidem in hoc libro omnes fundos, si qui aliis essent assignati, quo beneficio, ut propriè passim vocatur, veterani praecipue milites ornabantur, ita esse notatos, ut et subsecutia, nempe ea quae in agrorum divisione carptim superfluerint, neque centuriam efficerent, diligenter scriberentur, ex **AGGENO** et **DOLABELLA** apparet. Ille enim, de *limit. agror.* p. 192. *Si qua, ait, beneficio concessa, aut assignata colonis fuerint, sive in proximo, sive inter alias ciuitates, in libro beneficiorum adscribemus.* Hic vero, p. 301. scribit: *Si in agro assignato aliquando aliquis modus iugerationis vacauerit, ne putas subsecuum remansisse. Quaere primum sit, nec ne post aes*



fixum, et machina regionis sublata, secunda assignatione alicui assignatum, vel quaeris, si in libro beneficiorum, regionis illius beneficium alicui Augustus dederit. Ex quibus locis, agros assignatos tam diligenter in hunc librum suisse coniectos, colligitur, ut et simul accurata antea facta dimensione, quovsque pertineret cuiusque portio, adscriberetur, non modo, quo largitionis omnino modus esset perspectus, sed et quo controvrsiae si quae de agris inter ciues orirentur, eo facilius possent scopiri.

### §. XXI.

Ad beneficia in hoc libro notata pertinent etiam ea, de quibus in *l. 4. C. de iuri. rescr. sermo* est, et alias *priuilegia* audiunt, ad quae **TRIBONIANVS**, forte hac ratione motus, quod multas sine die et consule in codicem suum relatas constitutiones valere optauerit, falso illa in lege restrinxit iussoinem, ut non valeant, nisi adscriptus sit dies et consul, cum tamen *lex 1. Cod. Theod. de constit. princ.* ex qua lege suam desumit, de edictis modo constitutionibusque generalibus id praeceperit, vid. **JACOB. GODOFR. ad Cod. Theod. T. I. p. 5.** Talia vero beneficia sunt, immunitas a censu capitis ac soli, in quo in primis cernebatur *ius Italicum*, et *gratia beneficii* vocatur, in *l. 1. C. Th. de annona et tributis*, alibique passim, vnde qui beneficio principum illam immunitatem acceperant, *iure Italico* donati esse dicuntur, in *l. 1. D. de censibus*. cfr. **Cel. SCHWARZ**, *de iure Italicu*. Omnino quae talia fuerint optime cognoscimus ex *l. 5. et 6. C. Th. de coll. don. possessiones* nempe donatae demto canone, revelatae a tributis, in aliud *ius*, aut aliam *praefationem* translateae. cfr. **GUTHERIVS de offic. dom. Aug. I. 37.**

### §. XXII.

Sed ex toto, quod in libro hoc scribendo fecurus est Augustus consilio, cognoscitur, etiam si cui fuisset donata pecunia

cunia, aut alia qua a principum liberalitate ad alios manassent, veluti *beneficium aquaeductuum*, *FRONTIN.* l. II. de aquaed. ut totus perpetuo ante oculos esset expensarum catalogus, huic beneficiorum libro fuisse adscripta. Atque haec hactenus de ea Augustei rationarii parte, quae liber dicitur beneficiorum.

### §. XXIII.

Reliquum est, ut ad extremam eius partem progrediamur, de qua *TACITVS*, addiderat, inquit, *consilium coherendi intra terminos imperii, incertum metu an per inuidiam.* Etsi enim quarti cuiusdam libri hoc argumentum fuisse tradit *DIO CASSIVS, SVETONIVS* tamen atque *TACITVS*, cum trium tantum meminerint, hanc partem, quamvis ab argumento libri alienam, huic tamen rationario adiectam fuisse, recte statuunt viri docti. Quod consilium, de quo multae veterum politicorum extant cantilerae, non tam intidiae stimulis incitatum, quam periculi metu impulsum, dedisse Augustum, auctor est *DIO CASS.* qui adiecit, δισφύλακτον ἀρχὴν ἐπεσθαί, καὶ κυδονεστενὸν τὸ τέττανον τὰ ὄντα ἀπολέσας. Cum vero et alia praecepia consiliaue reliquissime in hoc libro Augustum, innuat *D. CASSIVS*, illius rationarii pars etiam ea comitiorum ordinatio fuisse videtur, quam Augustum scripsisse, *VELLEIVS* narrat. Sic enim de *TIBERIO* ait, l. II. c. 124. *Principalium Tiberii operum fuit ordinatio comitiorum, quam manu sua scriptam reliquerat D. Augustus.* *TACITVS* autem, *Anal.* l. I. c. 15. *Tiberium, inquit, candidatos praeturae duodecim nominasse, numerum ab Augusto traditum.* Non enim Tiberium primum, ut plerique putant, sed Augustum iam animo agitasse, Maeenate id ipsi suggestente, comitiorum populo eripiendorum, ad Senatumque transferendorum, consilium, auctor est *DIO CASSIVS* l. LII. Sed ad quam rem

◆ ◆ ◆

rem perficiendam nimis timidus adhuc reperiebatur, eam Tiburium, normam fortassis illius ordinationis secutum, perfecisse constat.

§. XXIV.

Quod denique Suetonius addit, adiecisse Augustum libro suo, libertorum seruorumque nomina, a quibus ratio exigi posset, notandum est, quemadmodum ad priuatas pecunias patrimoniumque priuatum curandum, ita et ad res fiscales administrandas, libertorum ministerio usos fuisse imperatores Romanos. Etsi enim non semper, id quod vult. R. E. L. N. E. S. I. V. S., *Inscriptt. Clas. IX.* liberti huic muneri admoti reperiuntur; verum viri interdum dignitate nobilissimi, vid. BVRMANN de *vestigial.* p. 234. tamen et isti nunquam ab illo munere exclusi erant. Sic PLINIVS XXXIII. II. talis dispensatoris Claudii, in citeriori Hispania, s. VETON. Claud. 28. serui, qui Claudio a rationibus fuerit, id est, eius rationalis, seu procurator. IDEM, in Dom. c. II. auctoris, seu potius auctoris summarum Domitian, meminit. Atque ad legata hereditatesque exigendas, seruos etiam adhibuisse, adeoque cum istis una cum seruitutis onere, talia, nulla intercedente mercede, faciundi necessitas inhaereret, ingentibus fere sumptibus pepercisse imperatores, docent inscriptiones multae. cfr. P. O. P. M. A., de oper. seruor. p. 1329.

§. XXV.

Sed, ne istam λογογραφίην, quam iam SALMASIUS olim Msctam viderat ad SOLINVM, p. 808. quaque postea analectis graecis monachorum Benedictinorum. p. 321. inserta, ac una cum recentiori rationario, ALEXII COMMENTI, nouae editioni commentarii, parentis sui, de sefertiis, adiecta a JACOBO GRONOVI, filio, reperitur; sed, ne illam huius

huius, quod iam descripsimus imperii rationarii, ab Augusto confecti, fragmentum quoddam esse existimemus, admonendum est hoc loco, illam modo aestimationem valoremque nummorum, ac formam illationis eorum in principis largitiones continere, a Graeculisque eam videri confestam. Multa enim more Graeculorum proprio, ad Augustum auctorem relata in ea, actatique eius affecta reperiuntur, quae longo tandem tempore post inualuisse constat, id quod exemplo inductionis, solidorumque, in libram computatorum, numeri, probavit IACOB. GODOFR. ad C. Theod. T. II. p. 462. SALMAS. l.c. multisque aliis exemplis, si hic locus esset, probari posset, cfr. FABRICII Bibl. Lat. T. II. p. 748.

### §. XXVI.

Verum hoc, cuius iam imaginem ex veterum scriptoribus expressam proposuimus, Augusti rationarium, optimorum quorumvis, eum deinceps securorum imperatorum diligentiam excitauit, ut et ipsi ad talia rationaria conficienda animum aduerterent. Atque omnino inde ab Augusto perpetuum hunc morem inualuisse, signo quasi ab illo dato, ut rationes publicas in brevioris descriptas seruarent imperatores ipsi, qui tam diu durauerit, vsque dum nouis magistratibus constitutis, illarum perscribendarum curam ipsis demandarent, ex multis veterum scriptorum locis probabili sane conjectura elicetur. Quod clarissime patebit, si quae de imperatorum hac in re diligentia testimonia reliquerunt scriptores, nondum a quoquam collecta, in unum nunc locum collata omnia exhibuerimus.

### §. XXVII.

Tiberium, quem omnino in libris scribendis, litterisque omnis generis tractandis, incredibilem adhibuisse diligentiam,

E

au-

◆ ◆ ◆

auctores sunt SVETONIVS DIOQUE CASSIVS, in imperii etiam rationibus conscribendis, haud segniem se initio imperii sui praebuisse, sed libri Augustei, cuius praeftantiam cum, delato sibi imperio, narrante TACITO, Ann. l. I. 22. proferri ipsum iussisset, vehementer fuerat admiratus, illius igitur exemplo incitatum, etiam eas notandas suscepisse, ex D. CASSIO, l. LIX. 9. adparet, qui modo inde a secessu Tiberii rationes publicas haud vulgaras fuisse innuit, ut igitur ante suum secessum ne id quidem Augusti institutum neglexisse Tiberius videatur. Sed depositum a Tiberio post secessum labore, denuo in se suscepisse Caligulam, SVETONIVS ait, Calig. c. 16. *Rationes ab Augusto proponi solitas, sed a Tiberio intermissas, publicauit.* Cum quo consentit D. CASSIVS l. c. τὰς τε λογισμάδες τῶν δημοσίων χρημάτων μὴ ἐντεθημένας ἐν τῷ χρόνῳ ἐν ὧ ὁ Τίβεριος ἐξεδημησεν, πάντας κατὰ τὸν "Αὐγύστου προεγράψε.

### §. XXIX.

Claudium in his, quos praeter alios multos libros scripsit, vid. SVET. 41. commentariis suis, Augusti quodammodo consilium fuisse fecutum, ex fragmentis eorum apud FRONTINVM de Col. p. 111. adparet, quemadmodum apud eundem, p. 109. liber NERONIS commemoratur, fragmentaque ex eo proferuntur, in quibus praeteralia, limitum terminorumque mensuras, quemadmodum Augustus in suo, fuerit complexus. Sub Galba, Othone, Vitellioque, cum non modo ingentibus isto tempore iactaretur respublica Romana turbaram quasi fluctibus, sed ipsi etiam imperatores, per breuissimum temporis spatium in imperii possessione manserint, ad ignauiamque plerumque declinauerint, intermissas fuisse publicas rationes, facile est ad intelligendum. Num vero Vespasianus eas denuo conscribendas suscepit, indagandum videtur.

Initio

Initio autem eorum statim est mintienda opinio, qui ad rationarii similitudinem trahere se posse opinantur instrumentum imperii de quo S V E T. in V E S P. c. 8 ait, *Ipse restitutio-nem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis manus primus ad-mouit, ac suo collo quaedam extulit: aeararumque tabularum tria millia, quae simul conflagraverant, restituenda suscepit: undique inuestigatis exemplaribus, instrumentum imperii pulcherrimum ac vetustissimum, quo continebantur paene ab exordio urbis, senatus-consulta, plebiscita de societate ac foedere et priuilegio cuiuscun-que concessis.* Nam primo multo est probabilius, combusta modo tabularum exemplaria, variis ex locis restituenda suscepisse Vespasianum, neque librum quendam, qui ita complexus fuerit, conscripsisse, cum in optimis fere codicibus, verbum *confecit* omnissimum reperiatur. Sed si etiam in materia quam collegerat tractanda versatus fuisset, ac librum talem ipse conscripsisset, cum tamen non imperii ille tum temporis statum, ut Augusti liber, sed senatus consultorum plebiscitorumque argumenta complectetur, inter rationarium ab Augusto institutum, hocque Imperii instrumentum, nullam intercedere similitudinem, adparet. Quanquam autem instrumentum Imperii nulla quasi cognatione contingit eius rationarium, cum tamen in vestigalibus cognoscendis diligentissimum Vespasianum fuisse, atque non modo omissa sub Galba reuocasse, sed et noua grauioraque addidisse, tributaque prouinciis auxisse: quid? Quod nutantem omnino rem publicam stabilire, ornareque omni ratio-ne conatum fuisse tradat S V E T O N. V E S P. c. 16. ab instituto Augusti vel eum haud abhorruisse, probabile videtur.

§. XXIX,

Domitianum vero, cum varia non modo de agris assignandis disposerit, ut ex AGGENO, *Vrb. in Frontin. p. 59.* adparet, sed etiam in primis piae caeteris imperatoribus de controuersiis agro-rum assignatorum, qui in illa Augustei libri parte, quae beneficio-



rum liber dicebatur, notabantur, in primis saepius rescripsent, quod nonnisi indiculo quodam adiutus facere potuisset vid. GRVTERI *Inscriptt. p. 1081. n. 2.* in his rebus diligenter conseruan-  
dis operam collocasse, recte colligitur.

§. XXX.

Neque sequentes imperatores, Nerua atque Traianus, minorem his in rebus praefliterunt diligentiam. De Traiano, id indicat inscriptio apud GRVTERVM, DLXXVIII, I.

M. VLPIO. AVG. LIB.  
PHAEDEM. DIVI. TRAIANI AVG.  
AD. POTIONE. ITEM. A. LAGVNA. ET  
TRICLINARCH. VICTORI PROXI-

MO. ET. A. COMMENT. BENEFICIORVM.  
Atque ipse in epistola ad PLINIVM, ep. 10. ait, ius trium libe-  
rorum, quod dederit Suetonio Tranquillo, in commentarios suos  
retulisse. Frontinus autem, qui sub Nerua atque Traiano  
vixit, l. 2. de aquaed. vbi de aqua, beneficio principis concessa,  
loquitur: Beneficia sua, ait, secundum modum commentariis ad-  
scriptum, temperat princeps. Omnimodo ista aetate praecla-  
ram hanc, omnes imperii opes perscribendi, viguisse consuetu-  
dinem, vel ex loco APPIANI, in prooem. l. 1. de bell. ciu. claris-  
sime cognoscitur. Ille enim, cum de maritimis Romanorum  
terrestribusque copiis, ac pecuniarum multitudine loquitur,  
tanti apparatus, inquit, ac rei militaris summa, ab ipsis in unum  
cumulata atque relicta ex ipsis imperii breuiariis, cognosci potest.

§. XXXI.

De Hadriano imperatore testatur SPARTIANVS, c. 10.  
Eum publicas rationes ita esse complexum, ut domum priuatam qui-  
uis paters familias diligens non satis nouit. Cuius vestigium insti-  
tit Antoninus Pius, quem CAPITOLINVS, p. 19. Tanta di-  
ligentia, ait, rexisse subiectos sibi populos, ut omnes et omnia, quasi  
sua essent, curaret: et ibid. Rationes omnium prouinciarum et vesti-  
gialium ad prime sciuunt.

§. XXXII.

## §. XXXII.

Omnium vero imperatorum, praeter Augustum, in his imperii rebus notandis, diligentiam superasse videtur Alexander Seuerus, qui diligenter descriptum habebat cui quid praestitisset, neque modo consignata ab Augusto beneficia, sed omnia alia beneficiorum genera ipsaque, quibus alios ornarat, dignitatum praemia, ipse consignauerat. VID. CAPITOLINVS p. 130. ac milites etiam praeterea suos sic sciebat, ut idem ait, *ut in cubiculo haberet breues, et numerum et tempora militantium indicantes semperque cum solus esset, et rationes eorum et numerum et dignitates et stipendia, recenseret, ut esset ad omnia instructissimus.*

## §. XXXIII.

Sed inde fere ab Alexandro Seuero descipiisse videntur ab hac singulari diligentia imperatores Romani, quippe non modo per breve plerumque tempus regnarunt, sed et continuis turbis bellisque distracti fuere, certe nulla eorum in ea re diligentiae testimonia memoriae prodita reliquerunt scriptores, ut adeo recte rationariis, ab ipsis Imperatoribus confessis, hunc quasi terminum ponere videamus. Constantinum vero, ac qui eum sequerentur imperatores, conscribendas illos quidem curasse publicas rationes, sed non amplius ipsis hunc laborem subiisse, verum magistratus nouiter constitutis eum deinceps imposuisse inuenimus, ad quos age iam nunc progredamur.

## §. XXXIV.

Antea vero est diligenter admisionendum contra multos hac in re errantes, illum dignitatum codicem, primicerii notariorum curae commissum, in memoriae scrinio conservatum, atque Antoninorum tempore, vii PANCIROLL. ad notit. Dignit. p. 1574. ex Tertulliano ad Valentem, c. 29. sive à figura, ut CEDRENVS opinatur, sive a statu armorum ordine, ut ISIDORVS VI, 7. PITHOEVIS in Glos. voc. obſt. sibi persuadent, laterculum, sub posterioribus vero imperatoribus, notitia, appellatum, qualis

E 3

est



est illa, quae hodiernum in manibus omnium versatur, imperii notitia, sub Theodosio iuniori, ut plerique putant, scripta; illum igitur neque breuiarium imperii dici accurate neque libri Augustei continuationem cum Pancirolo existimari recte posse. Breuiarium enim, ab Augusto institutum, a multisque Imperatoribus continuatum, imperii continebat, ut vidimus, rationes opesque totas, haec vero dignitatum notitia, quae non tam breuiario quam principis successit commentario, dignitatum modo initio nomenclaturam, post et consuetudines, atque inde a Iustiniano, ut ex Nouella 26. f. 2. elucet, mandata complectebatur. Cui, dignitatibus auctis et alium deinceps eiusmodi Codicem, laterculum minus vocatum, quaestorumque traditum curae, adiectum reperimus. GVTHERIVS de Offic. Dom. Aug. p. 7.

### §. XXXV.

Etsi autem laterculi argumentum quam longissime a breuiarii abhorret arguento, quaedam tamen breuiarii partes, militum puta copiae prouinciarumque numerus laterculo deinceps ita insertae fuisse videntur, ut milites sub suis quique ducibus, prouinciae autem sub suis quaque magistratibus scriberentur. Neque tamen prouincias in singulari quodam libro perscribere deinceps statim plane videntur Imperatores, certe in Antoniniana non bibliotheca, ut PANCIROLLVS p. 1326. scribit, sed basilica, in regione nona, separatis adhuc conseruatam prouinciarum memoriam commemorat PVBLIVS VICTOR de regionibus urbis Romae. Talis quoque libellus prouinciarum Romanarum, ex seculo, ut putant viri docti, Theodosiano, SEXTI RVFI breuiario, de victoriis et prouinciis populi Romani ad Valentem Augustum, adiectus a CELLARIO reperitur.

### §. XXXVI.

Redeamus nunc ad imperii rationes, ac quomodo et sub quibus magistratibus posteriori aetate scriptae fuerint illae, videamus. Cognoscendum autem statim est, publicam pecuniam, quae olim aerarii nomine veniebat, progrediente aetate, splendido profecto

voca-

vocabulo, quasi ad nullam aliam rem, quam ad largiendum ea esset destinata, *sacras* fuisse et *publicas largitiones remunerationesque* appellatas, atque *sacerorum largitionum comitis* curae eas fuisse inde a Constantino M. commissas, quam dignitatem, quae doctum adhuc interpretetur desiderat, per certum modo definitumque tempus, non perpetuo aliquem gessisse, id quod neglexerat Pancirollus Gutheriusque, ex CASSIODORO V.40. probat Cl. TROTZ ad Hugonem, p.405. Ab *sacris vero largitionibus* differebant priuatae, ad quas vacantia, caduca, commissa, aliaque fisci commoda pertinebant; erantque traditae *comiti priuatarum rerum*, qui et *comes priuatarum largitionum*, in l. vlt. C. Theod. de incorp. comes remuneracionum, ibid. et in l. 2. de remunerat. audit. vid. l. 1. C. de Quaest. l. 11. ibid. l. vn. C. de offic. com. rer. priu. l. 48. C. Theod. de curs. publ. Quibus duobus comitibus et *comites patrimonii* accedebant, bona patrimonio aerarioque incorporata administrantes. l. 19. 20. C. Th. de bon. proscr. vid. IACOB. GODOFR. ad C. Th. T. II. p. III. SALMAS. ad Lamprid. Ant. Diad. p. 175. GUTHERIVS de off. dom. Aug. p. 772 79. Sed sub illis prioribus quos ante commorauimus, comitibus, qui omnem administrabant pecuniam, ac diuersis in arcis seruabant, et si principes ipsi deposituerant rationum conscribendam curam, vestigium tamen ac tributorum, necessitatum largitionumque ratiocinia, inde a Constantino M. vt videtur, diligenter scribebantur, variisque in scribiis seu armariis seruabantur, de quibus vt nunc post Pancirollum Gutierrezumque sigillatim exponamus, necessarium videtur.

### §. XXXVII.

Ac notitia quidem imperii, sub dispositione Illustr. Comitis sacerorum largitionum, primicerium *scrinii canonum* commemorat. *Canon*, quae vox regulam proprie significat, deinde, vt ex glossis, atque ex l. 1. C. Theod. de praed. Tam multisque aliis locis eluet, dicitur omnino sollempne tributum, atque praefatio, fundo imposita, ordinarieque exigenda. *Canon* igitur *largitionum sacerorum* erat ea pecunia, quae singulis



gulis annis, earum arcae ordinarie inferebatur. Atque his canonibus separatum sub comite sacrarum largitionum constitutum scrinium fuisse, cognoscitur, in quo a tabulariis canoniciisque, uti vocantur in hoc scrinio militantes, reponebantur omnium tributorum ac vectigalium eorumque residuorum, ad hanc arcam pertinentium, ratiocinia. Et si vero omnis pecunia ex redditibus percipiunda, imperatorum usibus erat parata, cum tamen non in unam omnis sacrarum largitionum arcam influeret, sed et a comite rerum privatarum, qui praediorum a principe conductorum, bonorum publicatorum, et si qua alia ad fiscum pertinerent, curam gerebat, quaedam colligeretur; sub istius etiam dispositione canonum reperitur scrinium, in quo illius potissimum rationes ab eius hominibus scriptas fuisse, colligitur.

#### §. XXXIX.

Sed pergamus iam ad impensas, ac primo quidem necessarias, quas *necessitatum* voce complectitur Tacitus, et quomodo posteriori aetate perscriptae illae fuerint seruatae, videamus. Ac hae quidem, quae in stipendiis personis publicis soluendis, rebusque ad rempublicam pertinentibus administrandis cernebantur, cum ex pecunia publica soluerentur, ad sacrarum etiam largitionum comitem pertinuisse eas, ac sub eo curatas omnes fuisse, putauerim. Quare in eo, quod sub ipso inuenitur, in *Notit. Imper. numerariorum scrinio*, scriptas seruatasque necessitates fuisse adparet. Numerarii autem appellantur istius scrinii homines, sive, quia numeros suppatabant, vt AVGVSTINVS putat, l. XI. de liber. arbitr. sive, vt ISIDORVS tradit, l. 9. Orig. quia nummum aerario inferebant. Erant vero ab iis, qui in sacrarum largitionum comitis officiis erant, numerarii, ii diversi, qui in provinciis commorabantur, quales binos fuisse invenimus. Hi enim in singulis provinciis pecuniae, ad duas principis

cipis arcas pertinentis ratiocinia tractabant, *l. 2. et 4. Cod.*  
*Theod. de numerar.* et ibi **IACOBVS GODOFREDVS**, cum  
 illi, pecuniae, ex omnibus prouinciis ad sacrarum largitionum  
 arcam missae, rationes suppudarent, ac quibus rebus impensa  
 omnis esset, diligenter notarent, vid. **PANCIROLVS** ad  
*Notit. Imp. p. 1544.* Atque sic scribebantur seruabanturque  
 omnia, et reddituum publicorum, et necessariarum impensarum  
 ratiocinia, modo quod separatum habuisse inuenimus scrinium,  
 et collatarum et distributarum inter milites palatinosque  
 vestium rationes. Ac militibus quidem, inde ab antiquissimis  
 temporibus, a Gracchi nempe aetate, qui primus talem legem  
 tulit, vid. **PLVTARCH. in Grachis.** praeter annonam, ve-  
 stes quoque, quae tamen saepe nomine annionarum veniunt,  
 fuisse ex publico datas, constat. Quem morem perpetuo  
 fuisse conseruatum, nisi quod saepe pecunia pro vestibus ipsis  
 daretur, ex **AMMIANO MARCELLINO l. XXI. 6. VEGE-**  
**TIO l. II. c. 19.** et codicis Theodosiani legibus, probat **IACOB.**  
**GODOFREDVS** ad *Cod. Th. T. II. p. 334.* Quare certus erat  
 prouinciis vestium impositus canon, quae aut vestes in specie  
 transmittebant ad sacras largitiones, vnde *canonicariae vestes l. 1.*  
*C. Theod. de distracth. pignorib. l. 1. Cod. de militari veste*, aut ae-  
 stumationem vestis. Atque plerumque militaris vestis *adara-*  
*tionem*, quae *ἀπαργύρισμος* dicitur, factam, et a collatoribus  
 exactam, sacratissimis largitionibus illatam fuisse, etiam *ex l. 4. ibid.*  
 apparet. Sed non modo militibus, verum et Palatinis omni-  
 bus, secundum sui ordinis cuique praerogatiuam, vestem  
 fuisse porrectam, *l. 11. Cod. Theod. de Palat. l. vlt. Cod. Theod. de proxi-*  
*mis comit.* docet. In vestium igitur scrinio, quod in *Notit. sub Comite*  
*sacrarum largitionum* inuenitur, praeter principalium vestium ratio-  
 nes, omnium illarum, de quibus diximus, vestium collatarum, aut  
 pecuniae pro iis illatae, quemadmodum et eius, quae iis confici-  
 dis esset impensa, pecuniae summa diligenter conseruabatur.



### §. XXXIX.

Reliquum est, ut de largitionibus videamus, ac cum iliae in libris olim beneficiorum ab imperatoribus scriberentur, num earum memoria diligenter et post fuerit conseruata, indagemus. Atque in *Notit. Imper.* sub *Comite rerum priuatarum* quem et quandoque ipsam beneficii, a principis liberalitate indulti, adimendi potestatem habuisse legimus in l. 26. *C. Th. de petit. ultr. dat. scrinium inuenimus beneficiorum*, quale sub ipso meruisse, et ex l. *vltr. Cod. Th. de palatinis*, adparet. Omnia vero beneficia, quae olim notabantur a principibus, sive bona essent mobilia immobiliaue donata, sive priuilegia concessa, ut modus eorum diligenter perspiceretur, quae omnino talium beneficiorum notandorum causa erat, in hoc scrinio ab hominibus, qui *beneficiarii* appellantur, sive seruata, intelligitur. vid. *PANCIROLI. ad Notit. Imper.* l. c. qui tamen ex loco *TERTULLIANI de fuga*, c. 13. male probat, beneficiarios etiam eos sive appellatos, qui tribum aut censum, fisco debitum, exegerint, cum in isto Tertulliani loco, beneficiarii, milites sint beneficiarii, qui a laboribus immunes, duci aderant, atque si quid peragendum haberet, illud exequerentur. Iam isti milites, in illo Tertulliani loco, facinorosos homines iustu ducum conquisiisse dicuntur, cfr. *ILL. GEBAEKVS de orig. Feod.* p. 9. Sed ab horum tamen beneficiorum quasi communione, exclusum erat pecuniae numeratae, ex priuata principis substantia aliis solutae, beneficium. Nam hoc sub eodem comite in proprio *largitionum priuatarum scrinio* scribebatur. vid. *Not. Imp.* p. 1567. Quemadmodum igitur sub Comite largitionum sacrarum, posteriori aetate, ea quae necessario et ex publica pecunia essent soluenda, litteris mandabantur, ita et eadem aetate sub hoc priuatarum remunerationum comite, in separato quodam scrinio, pecuniae, aut ex sola liberalitate aliis suppeditatae, aut tamen priuatis modo principis ministris pro operis eorum, ex priuato aerario solutae, sum-

nam

mam scriptam esse intelligitur. *I. g. II. Cod. de palat. sacrar. targit.* Hoc quo nunc explicauimus modo sub his duobus Comitiis in Oriente et Occidente curabantur inde a Constantino M. rationes omnes publicae, praecipua illa rationarii Augustei pars. Alteram vero eius partem, prouinciarum nempe numerum, militumque copias, sub magistratibus singulis ducibusque, in laterculo maiori, quod vero caue appelles cum Pancirolo Imperii breuiarium, fuisse conseruatam, supra iam monuimus.

§. XXXX.

Ne autem eo opinionis errore teneamur, quo plerumque quasi constricti tenentur ii, qui ob nimium vetustatis amorem, nunquam veteris Romae fines egressi, ceterorum principum regnumque historiam peragrarunt, Romanos fere solos et ad excogitandum acutos, et ad agendum promptos fuisse, age iam recentiorum quorundam principum, quos eadem diligentia in conscribendis regnumque suorum opibus versatos comprehendimus, exempla, in extrema adhuc scritione collecta proponamus. Nam de illo veteris imperatoris CONSTANTINI PORPHYROGENETAE libro, huic nostro simili, quem PANCIROLLVS in praefatione ad Not. Imp. commemorat, dicere non attinget: cum eius inueniendi, adeoque penitus cognoscendi spes nobis omnis erupta videatur. Sed recentiori aetate, tale fere regni sui rationarium, diligenter exploratis omnium opibus, confecisse constat principem in exigendis vectigalibus rigidissimum, Guilielmum Conquestorem, Magnae Britanniae regem, qui liber sanctissime in Templo Dominico consciens, dicebatur *Domes-Day Book*, liber domus Dei, de quo multa praeclara concessit, WIDEBVRG in vermischtten Anmerkungen, p. 266. Cosmum Mediceum, Magnum Florentiae ducem, tale olim habuisse breuiarium, docuit me ANNIBAL SCOTVS ad Tacit. Atque LAMBECIVS V. II. comment. de biblioth. Vindobonens. p. 73. rationarii cuiusdam Austriae et Styriae,



Styriae, partim sub Ottocaro, rege Bohemiae, partim sub Rudolpho compositi, meminit.

### E P I L O G V S.

Haec fere sunt, quae de rationario imperii Romani, eiusque natalibus ac progressu, et ex veterum scriptorum monumentis studio eruere, et ab illis destituti, conjectura assequi potuimus. Quae si quibusdam errorum quasi maculis adspersa, aut orationis tenuitate deformata inuenerint lectores, vt aetatis nostrae teneritati veniam beneuole concedant, quam obseruantissime eos rogatos cupimus.





56.





B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



DE  
**R A T I O N A R I O**  
**IMPERII ROMANI**

DISSESTITO

A V C T O R I T A T E

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
P R O S V M M I S

IN VTROQVE IVRE HONORIBVS

O B T I N E N D I S

A D D E F E N D E N D V M

A. D. III. MAI. C I C I C C L X X I I .

P R O P O S I T A

A

M. CHRISTOPHORO FRIDERICO WOLLE

IVRIS VTRIVSQUE BACCALAVREO

L I P S I A E

E X OFFICINA LANGENHEMIA